





60 P. Bd.

V<sub>9</sub>

+





7.  
Ad Illustrissimum Principem  
ac Dominum

DN. ERNESTVM

DVCEM BRVNSVI-  
CENSEM ET LVNE-  
burgens.

ORATIO

BALTHASARIS CAMI-  
NÆI I. V. D.

Qua eius celsitudini de novo susceptæ  
gubernationis munere gratulatur.



*Dn. M. Ducano L'rd  
mathematico claris  
amico suo mittit*

*Francofurti ad Oderam, Typis Ni-  
colai Voltzii.*

*Camissoer*

Anno cIo Io, xcIII.



DEUTSCHLAND

STADT BERNBURG

Dr. M. P. ...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

...  
...  
...





**Q**UOD alii coram verbis virtutibus summa cum laetitia & merito fecere, Illustrissime Princeps Domine clementissime, ut in hoc novo gubernationis tuae auspicio, quod subditorum officio & fide praestantium erat, affectionem animi sui cum voto beneuolae publice ostenderent; id cum non minus mihi, etsi absenti, cupide prolixeq; faciendum existimarem, non acquieui de me prius, quã quod multis de causis mihi praestandum intelligerem, re etiam ipsa perfecissem. In quo etsi me initio pudor quidam tardabat meus, quod non de futuros viderem, qui in quo ego officium sequerer, id vel palpum à meis moribus prorsus abhorrentẽ, vel aliorum essent interpretaturi: Vicit tamen fluctuationem istam recti conscientia, & eorũ qua me impulerant ad patrandum, quod recte constituissem respectus. Etenim recordabar me natura sic moderante ibi primum huius lucis spiritum hausisse, ubi à multis annis maiores tui sedem



aula habuissent, loco si non isto, quem cum poe-  
ta Græco ubi terra appelles, tamen nõ pror-  
sus infelice, quodq; caput est, et de sua patria  
Ithacæ princeps prædicat, virorum ferace;  
qui si vel in ipsis Caucasii montibus præstantes  
nascantur, easdem sint virtute sua nobilita-  
turi; quando, ut de Theologis Græcis quidam  
dixit, non tam locus hominem, quam homo  
locum exornat. Patria autem qui se nihil,  
parumve debere autumat, ne ille humanita-  
tem, non modo omnem exuerit, sed & erga  
matrem sanctissimam enormiter impius, &  
apprime sit iniurius. Etenim quidquid na-  
tura benignitate accepimus, studio quæsi-  
mus, industria ac labore parauimus, opera  
deniq; et consilio nostro præstare possumus, id  
omne ad salutem patriæ nos cõferre debere cum  
ratio ipsa, tum sapientum monet auctoritas:  
In quibus si Platonem audiamus, non hoc so-  
lum largiemur, sed & alterum libenter dabi-  
mus, nos eidem id, quo carius nihil habe-  
mus, hoc est, nosmet ipsos quoq; debere.

Quin



Quin & illud animo subibat, non solum  
vivendi, sed & discendi in patria me coepisse  
primordia, ducente ad hoc ipsum me, cum  
privata parentum cura, tum praeceptorū, quos  
sive fato, sive scholae inspectorum diligentia, fi-  
deles eruditosq; nactus eram, industria: ut si  
quid forte, quod per exiguum esse lubens a-  
gnosco, profecisse labore studioq; indefesso  
existimer, id omne propemodum patriae, cu-  
ius tu nunc Princeps illustrissime personam  
publicam geris, acceptum iure summo feram.  
Nec vero exciderant, quae Illustrissimus  
princeps **VVILHELMVS** parens tuus  
cum in vivis esset, tam parentibus meis, quos  
ob servitia diuturna ac fidelia caros habebat,  
quam mihi praestiterat beneficia. Etenim  
cum ipse omni genere liberalis doctrinae egre-  
gie, & supra quam plerorumq; principū fert  
consuetudo, excultus esset; in primis vero  
Musica elegantiore singulariter afficeretur,  
non solum ille me puerum ob vocis, quae tum  
erat suavitatem Musicaq; peritiam amabat

A 3

& in



Et in aulam accersebat sapius, sed et adultio-  
rem in Academiis eadem benignitate ac cle-  
mentia prosequeretur, subinde me, quo stu-  
dia hoc prosequerer alacrius, liberalissime  
munerans, ultroque stipendium, si eo uti volu-  
issem deferens. Est enim hac auita laus prin-  
cipum Luneburgensium, ut non ipsi solum a-  
nimos suos regis disciplinis profunde imbu-  
ant, sed et subditos suos ad colendas literas  
benignissime invitent, quando eorum qui in  
re non satis lauta sunt filios ad plures annos  
in Academiis non exiguo sumptu alunt, ut eos-  
dem, ubi ingenii agellum quantum satis est,  
aut cuiusque captus patitur, subegerint, publi-  
cis postea siue in Ecclesia, siue Repub. muneri-  
bus praeficiant. Nec enim ita inepte iudicant,  
ut solis theologiae studiosis, quod alicubi fit,  
praemia deberi, aliarum disciplinarum culto-  
res destituendos putent; quando satis intelli-  
gunt, civitatem, quod sapiens ille Stagirites  
dicebat, non ex medico et medico, sed variis  
hominum generibus constare, neque quenquam  
omnium,



omnium, in quo indoles quaedam virtutis e-  
luceat, quemq; ab ortu ipso inclinatio quaedam  
ingenita ad hanc aut illam vite partem quasi  
trudat, negligendum esse. Namq; quod non  
omnes omnia possumus, ab ipsa adeo natura  
est, qua nos homines non quasi gladium, qui  
in proverbio est Delphicum finxit, quem va-  
riis vsibus aequè rectè accommodes: sed unum  
uni rei studioque, quando plura simul, ea-  
demq; rectè tractare difficile est, præcipue de-  
stinavit. Id quod quemq; in se animaduerte-  
re, in aliis et ab aliis agnitum non morose a-  
uersari culpæ reuè oportet; nisi forte cōtra ra-  
tionem Minerva inuita quem conniti debere  
censuerimus. Ex quo fit, ut si quem virum  
industriū vel aula ipsa, vel consulentiū  
subsellia, aliæque functiones requirant, habe-  
ant illustriss. principes in suis ut plurimum,  
quos cum bono publico, & laude ipsorum pri-  
uata præficere muneribus istis possint: Tutius  
omnino, quam si easdem partes prorsus igno-  
ro, de cuius integritate & fide non satis con-  
stet,



stet, committant: Ut non immerito Illustris-  
simus parens tuus, princeps grata posteritatis  
memoria dignus, quoties simul de pluribus  
deliberatum fuit, suis se bobus, quod dicitur,  
arare malle dixit, maxime si eos aliis non  
minus idoneos vidisset. Neq<sup>3</sup> enim suorum  
ita prapostere amans erat, ut eosdem ineptos  
exteris magis idoneis preferendos putarit.  
Quod qui faciat, nō absimilis sit illi, qui glan-  
de in suis agris nata, quam siligine quæ alibi  
prouenerit ridiculo admodum fastidio vesci  
malit. Immo utrisq<sup>3</sup> suis apud principē intel-  
ligentem cōstabat honos, dignitas, premia: id  
quod hodie ipsa adhuc testatur aula, sciūt sub-  
diti, tota loquitur regio, tuq<sup>3</sup> princeps **ER-  
NESTE** non minus quam ceteras virtutes  
paternas sine cuiusquā emularis inuidia. Nō  
modo .n. nemo quem ille probarit, loco moue-  
tur. sed et quos caros ei fuisse intelligis, tanto  
impensius amas, foues, ornas. In quibus si  
me fratresq<sup>3</sup> meos numerem, nec ambitiose  
me, nec infulse facturum existimem. Etenim  
duos



duos illorum Martis alumnos, quotidie tibi  
in aula praesto esse: tertium vero Musis dedi-  
tum, quamprimum nuper ex Italia redierat,  
informandis in Academia Ienensi illustrissi-  
mis fratribus tuis praeficere voluisti: muneri  
sane arduo & magni momenti, ut pote in quo  
non solum ipsorum felicitas, sed & eorum  
quibus olim illi imperaturi sunt salus prae-  
cipua consistit: quod quando ipse satis intelli-  
git, et in educandis fortunatorum filiis annos  
iam plures versatur, hoc maiore quoque ea in  
re fide utetur & industria. Me vero ipsum,  
quem haecenus genus vitae & ratio studiorum  
ab aula remouit longius, non modo non ne-  
glexisti: sed & superiore anno, cum nuptias  
hic ad Viadrum, satis longo à patria inter-  
uallo celebrarem, liberalissime es muneratus:  
quod cum mihi non solum gratum, sed & a-  
pud collegas & novos affines, viros clarissi-  
mos per honorificum accideret, iam tum opta-  
ui dari mihi tempus illud, quo animi grati  
affectionem cum praedicatione debita declara-  
re publi-

B

re publi-



re publice possem. Quod quando nunc com-  
modum satis illuxit, non modo non amitten-  
dum, sed utraq; mihi manu prehendendum  
putavi, non minus priuatum decere existi-  
mans, ut se patrie principi probet, quam id-  
ipsum à multitudine seu omnibus in uniuersum  
requiritur. Itaq; cum ad gratulandum  
animum adferam, quem negotium ipsum po-  
stulat, proindeq; ex gratitudinis subiectionisq;  
fonte mea fluat oratio, in spem maximam ve-  
nio, ut si oratio hæc mea sua se, quam sponde-  
re non possum numerositate elegantiaq; parum  
probet, argumento tamen ipso placeat, & ab  
scribentis animo ad vota & euque arden-  
tes propensissimo, commendationis aliquid  
acquirat; non secus, ut que ab iis, qui nobis  
egregie cari sunt, dono accepimus, non tam  
pretio, quam affectione erga dantem nostra  
estimare metiriq; solemus. Omnis vero gra-  
tulationis quasi fundamentum quoddam est  
consideratio admiratioq; bonorum eius cui  
gratulamur: que cum oratione nostra, et qui-  
dem ita



dem ita sint explicanda, ut & virtuti debitum  
persoluamus premium, & fauorem nostrum  
precipuum fidei aliis faciendæ argumentum  
non obscure contestemur, nemo erit opinor ita  
alterius gloriæ vel inuidens, vel iniquus fa-  
cti alieni censor, qui in quo rei ipsius natura  
spectatur, id maligne ad adulandum, quo ni-  
hil homine liberali indignius, comparatum  
esse suspicetur. Quo ipso fretus, non operosam  
nunc mei excusationem texam, ne dum anxie  
nimis me purgare cupio, eo ipso illa, quæ di-  
cturus sum in dubium vocare videar. Sed  
non unius sunt generis Illustriss. princeps  
**ERNESTE**, quæ in te non solum subditi  
tui, in quorum oculis versaris, sed et viri prin-  
cipes, literarum antistites, aliiq; rerum huma-  
narum cordati censores conspiciunt suspiciuntq;  
bona: alia tamen aliis illustriora, tibiq; magis  
propria. Nã etsi ex quibus quales nascamur  
in potestate nostra non est, sed à fortuna per-  
det arbitrio tamen si cui ea felicitas contige-  
rit, ut ex heroum sanguine ortum dicat, habet

B 2

profecto



profecto quo non solū in sinu, quod aiunt gau-  
deat, sed & alios fortuna ista destitutos ve-  
lut albis quadrigis præcurrat: Cum præsertim  
constet principes ac reges, uti supra commu-  
nem hominum sortem à Deo positi sunt, ita  
etiam augustiore indole magisq; heroico ani-  
mi ac corporis vigore ab eodem esse ornatos.  
Itaq; quo ad natalium splendorem nullo prin-  
cipum Germaniæ non modo non es inferior,  
sed & multos antecedis, siue quis paternum,  
siue maternum genus respiciat. Quis enim ni-  
si historia prorsus ignarus, te ex ea familia  
prognatum esse ignorat, quæ à multis retro se-  
culis in hoc orbe Christiano pace belloq; fuit  
clarissima. Etenim ut prisca illa ab HIN-  
RICO vsq; LEONE, OTHONE  
IIII. Imperatore, MAGNO Torquato  
Hinrici Leonis trinepote, FRIDERI-  
CO Imperat. BERNHARDO tri-  
tavo tuo non repetam, & primos illustrissimæ  
vestræ familiæ conditores GVELPHOS,  
quorum laudes uti locus hic non capit, ita  
neq;



neq<sup>3</sup> eas ex dignitate texere possim, omittam;  
quis queso patrum nostrorum memoria aucto-  
tuo principe ERNESTO, quem ut no-  
mine, ita & virtutibus praeclare representas,  
fuit vel religionis amantior, pietatis verae  
studiosior, vel beneficentiae aliisque virtutibus  
regis magis addictus? Sane absq<sup>3</sup> illo et pau-  
cis aliis fuisset, qui tum inueteratae superstitioni  
magno animo, nec minore periculo sese in  
comitiis Augustanis anno 1530. opponebant,  
non frueremur hodie immenso & ineffabili  
illo repurgatae diuinitus per Lutherum reli-  
gionis verae beneficio. Namq<sup>3</sup> cum totus fere  
orbis Christianus, Pontifex summus, Impe-  
rator Romanus, omnes propemodum reges  
& principes, maximi minimi aduersus ma-  
gnanimum illum theologum Pontificis et mo-  
nachorum errores vitia & imposturas libere  
arguentem ac detegentem consurgerent, pient-  
tissimus princeps & dux ERNESTVS,  
quem itidem flagitiosi clericorum mores, vita  
impura, & erronea doctrina iam pridem of-



fenderent, una cum IOANNE FRI-  
DERICO Electore Saxonie, PHILIP-  
PO Hassia Landgrauio, GEORGIO  
Brandenburgico & principe ANHAL-  
DINO non opinionum commentis, aut tra-  
ditionibus pontificiis nitentem, sed scriptura  
pugnantem, semperq; ad normam fidei pro-  
phetarum & apostolorum doctrinam prouo-  
cantem, in fidem ac clientelam suam, pericu-  
loso quidem ausu, sed quod res tota à Deo  
Germania miseriam tandem aliquando re-  
spiciente erat, felici euentu receperunt prius  
dignitatem, fortunas, ac vitam ipsam si usus  
veniret amissuri, quam concessuri, ut de via  
salutis, quam semel rectam agnouissent, in er-  
rorum salebras & labyrinthos cum lesione  
conscientie deducerentur. Itaq; omnia facie-  
bant, que propaganda veritatis ac literarum  
tum simul cum doctrina cœlesti in Germania  
renascentium, esse putassent: templa, scholas  
in sua quisq; ditione magno studio repurgan-  
tes ac recte constituentes. Qua in re princeps  
ERNE-



ERNESTVS utebatur piorum & do-  
ctrina praestantium theologorū Henrici Boc-  
kii, et Martini Oudermarchi, Luthero quo  
ad faciei lineamenta prorsus simili, qui me  
puero adhuc ecclesiam in patria docebat, ope-  
ra. Praecipuus tamen Dn, **URBANI**  
**REGII** erat labor & felix industria. Huic  
enim episcopen ecclesiarum suarum commen-  
dauerat; quam ipse quoq; quoad in vivis fu-  
it, summa fide ac industria administrabat, ut  
adhuc apud senes, qui eum nouerunt & do-  
centem audire, desiderabilis eius sit memo-  
ria. In hoc pietatis & religionis amplifican-  
di studio auo tuo anno 1546, quo & Luthe-  
rus obiit, rebus humanis exempto successit il-  
lustriß. princeps **WILHELMVS** pa-  
rens tuus pia memoria, qui ipsos annos tri-  
ginta et unum patriam summa cum modera-  
tionis & iustitia laude in perpetua & tran-  
quilla pace feliciter rexit ita quidem, ut non  
modo subditis minime grauis, ut multi: sed  
& apprime carus, quod non nisi optimis con-  
tingit,



tingit, fuerit: Id quod maxime tum videre  
erat, cum eum senio ingruente simul animi  
quidam morbus obruisset. Nemo enim in to-  
ta ditione erat, qui non vicem principis opti-  
mi doleret, fortunam miseraretur, proq<sup>3</sup> eius  
valetudine ac vita vota ad Deum immorta-  
lem cum suspiriis gemituq<sup>3</sup> funderet. Namq<sup>3</sup>  
erga eos animo, quod de Ithaca principe poe-  
tarum princeps predicat, prorsus erat pater-  
no; non suis privatim commodis, potentia aut  
cupiditati seruiens, quod tyrannorum esse  
meminerat; sed uniuersorum saluti, cui pro-  
curanda se à summo omnium gubernatore  
Deo praefectum intelligebat, consulens. Ma-  
ternum vero genus non minus illustri ducis  
origine. Quis enim **CHRISTIANVM**  
**III.** quondam Dania regem potentissimum,  
& ut nomine, sic animo & vita vere Chri-  
stianum ignorat? qui non modo pace bonus,  
sapiens, iustus & pius: sed & bello strenuus  
ac felix, adeoq<sup>3</sup> in ipsa victoria, inconstantis  
rerum humanarum memor, moderatissimus  
fuit.



fuit, & quod bis vincere est, semetipsum cū  
hoste unā superavit. Cuius rei cum aliās, tum  
vero in Hafniensi illa obsidine, qua per totum  
annum gravissima clausit ALBERTVM  
Megapolitanum & CHRISTOPHO-  
RVM comitem Aldeburgensem una cum  
septem regni Dania Episcopis, egregia edi-  
dit documenta. Etenim cum qui in urbe ar-  
ceq; erant omnium rerum, maxime vero co-  
meatus inopia gravissime, & ita quidem la-  
borarent, ut ferro an fame acrius urgeren-  
tur, incertum esset, rex optimus humanissi-  
musq; ne sexus imbellis, & misericordia po-  
tius quam miseria dignus Saguntinam illam  
famem experiretur, coniugi Alberti puerpe-  
ra, qua in ipsa obsidione filium LUDOVICVM  
enixa erat, familiaq; ipsius necessaria  
è castris summisit: senatui urbis civibusq; vi-  
tam fortunasq; qua adimere iure belli poterat  
conseruavit, pristina eorum iura ac privile-  
gia non modo non infringens, sed & noua  
constituens & vetera diplomate confirmans.

C

Erga



Erga comitem vero Aldeburgensem cum pri-  
mis ei infestum, non minus tamen moderate  
se gessit. Namq; cum urbe capta eum iam in  
potestate haberet, & mulctare ex libitu proq;  
ipsius merito posset: nihil tamen in eum statu-  
it inclementius nisi quod supplicem verbis  
duntaxat increpauit qui scilicet sine ulla cau-  
sa, contraq; ius militia bello prius non denun-  
ciato ditionem suam hostiliter inuasisset; in  
ceteris sapienti hac & excelsum animum sa-  
tis arguente vsus oratione. Quod si ait, iniu-  
rias mihi meisq; subditis à te illatas vindica-  
re, uti merebaris, vellem, occasio sane esset in-  
manibus: sed maiorem meae clementiae & a-  
gnationis nostrae, quam meriti tui rationem  
habere constitui. Itaq; nunc alias conditiones  
tibi non feram, nisi ut Daniam Sueciam &  
Noruegiam eiures: principibus qui mihi  
opem tulerunt negotii nihil facias, neq; dein-  
ceps te gubernatorem Daniae appelles, sed a-  
gnato paterna ditionis titulo te contentum fo-  
re testeris. Ex hoc tanto, tam pio, felice &  
laudato



laudato principe ac rege, cuius virtutum me-  
moriam nulla unquam delebit obliuio, &  
**DOROTHEA** Saxonica, **MAGNI**  
ducis Saxonie inferioris filia, nata est illu-  
stris heroina ac domina **DOROTHEA**  
mater tua, sua <sup>quodam</sup> prater filias, septem li-  
berorum masculorum in viuis Dei gratia  
existentium, parens: in quibus te princeps  
**ERNESTE** principem & primogeni-  
tum enixa est: quo iure etiam ad te ditionis  
paterne hereditas ac gubernatio peruenit:  
quam ut feliciter secundisq; auspiciis suscepe-  
ris, letis ac florentibus administres, latissimis  
vero & optatissimis claudas, non solum pre-  
cati sunt, & una mecum quotidie precantur,  
quotquot tibi proxime ditionem totam obeun-  
ti, sacramento fidem quam debent obstrinxe-  
re: sed idem quoq; sibi de insigni illa tua cle-  
mentia, humanitate, mansuetiq; pectore ac  
vultu penitus pollicentur. Meminerunt enim,  
id quod, si Plutarcho credimus, non parum  
ad virtutem momenti habet, quibus maiori-



bus ortum ducas: recordantur quam diligen-  
ter à primis annis una cum illustrissimis fra-  
tribus ad pietatem beneficentiam, mansuetu-  
dinem & alias virtutes regias educatus sis:  
quanto deniq; studio postea in Academiis, id  
quod ipsæ lubentes testantur & eo quo debent  
ore prædicant, literas regias colueris, teq; ad  
imperium, quod destinari tibi intelligeres con-  
formaris. Unde spem non dubiam fouent, te  
qui ad imperandum animum adferas pror-  
sus paternum & intelligentem earum rerum,  
quæ à te expectantur & expectari merito de-  
bent, ita quoq; clauum Reip. moderaturum,  
ut quæcunq; tandem tempestas ingruat, na-  
uem in tuto sistas. Hic enim finis est impera-  
toris artis, subditorum saluti consulere, hoc  
est regem, hoc principem esse mala ab iisdem  
auertere: siue consilio id fieri possit, quod opta-  
bilius, siue armis opus sit, ad quæ non nisi  
aliis remediis desperatis veniendum. Etenim  
nec illius expertem esse principem eum oportet,  
cui salus subditorum commissa sit, quiq;  
secundum



secundum Homerum pastor populorum audi-  
re et esse velit: quando Vegetio teste nemo est,  
quem vel plura vel meliora scire oporteat,  
quam principē, utpote cuius doctrina prodesse  
debet, non ipsi solum, sed omnibus imperio ei  
subiectis: neq; vero hoc, si usus veniat, aut a-  
verti alia ratione vis impendentis mali non  
possit, declinare, aut pusillo animo defugere.  
Quod qui faciat, nā ille iam personam prin-  
cipis deposuerit, & in meritam apud omnes  
reprehensionem incurrat: praesertim cum inter  
bruta etiam animalia videre liceat non pau-  
ca, quae pro sui generis custodia animose,  
cumq; periculo vitæ decertent: ut inde nō im-  
merito Dion Chrysostomus regem tauro pro  
armentis suis depugnante comparauerit. Nec  
temere est quod apud principem poetarum A-  
gamemnon dux Graecorum passim appella-  
tur ἀμφοτέρου βασιλεύς ἀγαθός, κατὰ τὴν αἰχμητῆς.  
Nam cum regem eundemq; bonum dicit, non  
obscure consilii illi tribuit praestantiam, eumq;  
non minus dextra, si forte hasta vibranda sit,

C 3

promptum





promptum affirmat. Consilio autem is mihi  
valere censendus est, non qui omnia ea, quæ  
in consultationem veniunt, suo cerebro ad a-  
missim dimensa habeat: Id enim uti fieri vix  
potest, ita neq; ab uno homine, qui non omnia  
videt, neq; videre etiam potest, admodum re-  
quirendum est; sed qui cum nihil in se desi-  
derari patiatur, oculosq; mentis in omnes of-  
ficii regii partes diligenter circumferat; alios  
tamen etiam intelligentes, quodq; caput est,  
bonos ac patriæ amantes viros in consilium  
adhibeat, eorum monita salutaria, etiamsi cu-  
piditati ipsius interdum aduersentur, æquo a-  
nimo audiat & sequatur: nihilq; rerum, ma-  
xime gravium, & quæ deliberationis sunt in-  
ceptet, non requisitis prius aliorum ea de re  
iudiciis. Nam qui suo per omnia stare voluit,  
suntq; ut Græci loquuntur *αὐτονομῶνες* & sui  
capitis, facile in consiliis aberrant, & sibi po-  
pulisq; subiectis cladem accersant. Nec enim  
in quo principes alucinantur, ipsos solum  
tangit, sed luunt illorum lapsus ipsi etiam sub-  
diti;



diti; ut non abs re Horatius dixerit, Quid-  
quid delirant reges, plectuntur Achiui. Quo  
circumspectius eos ad res gerendas accingi  
aequum est, & ad prouidenda euitandaq; ma-  
la non suis solum, sed & amicorum &  
parentum suorum oculis auribusq; uti: quos  
quo praestantiores magisq; fidos nacti fuerint  
hoc minus vel errori alicui vel caco fortuna  
obnoxii erunt arbitrio. Reuoluebunt autem à  
se longissime, qui sub persona amicorum se in-  
sinuant & obtrudunt adultores, pestes au-  
larum & communis uitae perniciosissimas, ip-  
sisq; hostibus hostes magis capitales, utpote  
qui animis eorum, quos sectantur, non mel-  
merum hoc est uera & honesta, sed mellitum  
venenum instillant. Quo pacto uero illi à ve-  
ris amicis dignoscendi sint, non est difficile  
videre & luculenter id nos in quodam hy-  
pognemate suo, cui ex ea re titulum indidit,  
docuit Plutarchus, scriptor grauissimus: cu-  
ius ego hic praecepta non inculco, neq; opus est  
ad principem eo ingenio, prudentia, literis.  
Pericu-



Periculum enim non est, ne quis tibi non ad-  
uertenti obrepat; qui ver hoc stasis tue ita  
circumspecte, moderate & grauiter exigas,  
vt facile hoc genus hominum fomitem vene-  
no suo serendo subductum esse, sit animaduer-  
surum. Quin & in aula tua ii versantur ho-  
die & a te in consilium adhibentur viri, quo-  
rum candorem, integritatem ac fidem non  
nunc demum explorare necesse habeas: Sed  
qui iam à multis annis partim Illustrissimo  
parenti tuo, partim tibi illustrissq; fratribus  
tuis eam operam nauarunt, vt nunc merito  
suo cumq; bono publico apud te in honore, pri-  
uatim apud optimum quemq; in summa sint  
existimatione, adeoq; in vniuersum cari cla-  
riq; habeantur. Nemo enim est & in aula  
ipsa & regione tota qui duo illa clarissima  
aulæ tuæ lumina, viros nobilitate generis, do-  
ctrina multiplici vsuq; rerum præstantissimos  
Dn. IOANNEM HARTMAN-  
NUM AB ERFA vicarium tuum  
dignissimum, & Dn. IOANNEM A  
BENE-



BENEKENDORF aula prae-  
fatum non colat veneretur, amet: Nemo qui  
Dn. D. FRIDERICI A WEIEN  
Cancellarii tui integritatem, industriam, &  
indefessum de patria benemerendi studium:  
nemo qui reliquos consiliarios tuos Dn. D.  
ANDREAM à DAM, Dn. FRAN-  
CISCVM HAVSMAN & Dn. D.  
ALBINVM viros scientia iuris, offi-  
cio & fide praestantes non suspiciat, praedicet,  
obseruet: quorum singuli, quae illorum mode-  
stia est, hoc loco à me laudari graue sibi du-  
cant; & ego huic quamuis forte non alieno  
aut intempestiuo officio, ne quis me vel meri-  
tis in me meosq; priuatis, vel amori id tribu-  
isse suspicetur, lubens supersedeo. Noli enim  
putare princeps illustriss, in obscuro latere  
quibus quantisq; viris utaris, quamq; illu-  
stria sint noua illius tuae gubernationis princi-  
pia: quae quando summa ratione & pruden-  
tissime constituta sunt, reliqua quoq; his con-  
sentanea fore, nemo est qui dubitet. Predica-

D

tur



tur enim aula Cellensis, non ut de qua illud  
poeta merito vsurpes: Exeat aula, qui cupit  
esse pius: sed tanquam theatrum modestiae,  
humanitatis, & reliquarum quae viros prin-  
cipes ac politos homines decent virtutum:  
quamuis etiam alias dictum illud pro oracu-  
lo non habeamus, si simpliciter intelligatur;  
cum praesertim vitia aula, non aulas ipsas inse-  
detur; & vero experientia ipsa ac monu-  
menta historiarum liquido satis ostendant,  
ab multorum principum aulis pietatem, quae  
chorum ceterarum virtutum ducit, minime  
exulasse. Cum primis vero quae inter vos fra-  
tres illustriss. rari prorsus exempli glutinata  
& perpetua est animorum idem volentium  
ac nolentium concordia, non vulgari benefi-  
cio summi numinis vobis patriaeque nostrae  
concessa: quam cum Deo gratam, vobis di-  
gnam, & Reip. utilem vel me tacente intel-  
ligatis, non est quod ad eam colendam mea  
vos oratione inuitem: Meministis .n. illius  
morituri regis barbari non barbaram tamen  
ad. f.



ad filios, quos plures relinquebat orationē, fa-  
ctumq; memorabile. Etenim quo magis ipsis  
studium concordia commendaret, idq; ita ani-  
mis eorum insculperet, ut nō verba solum au-  
ribus influerēt, sed et rei quoddam simulacrū  
mentibus eorum insinuaretur, fasciculum te-  
lorum arte ligatorum singulis frangendum  
tradidit: cumq; id nemo illorum posset, singu-  
las eis sagittas, quas facile confregerunt, de-  
dit, iunctos eos & unanimes invictos fore o-  
stendens; diremptos vero & sibi dissidentes  
omnium iniuriis expositos, & cuius obtritu  
faciles futuros. Pergetis itaq; quod facitis  
cum hac, tum aliis heroicis virtutibus floren-  
tem nominis vestri famam illustrare; quod  
erit non difficile, si principes & reges in ter-  
ris quasi Deos quosdam sive vicarios Dei  
esse, & naturam eius imitando ipsi quam si-  
millimos effici existimaveritis: In quo sane  
tam principis ipsius, quam subditorum non  
postrema salus, felicitasq; consistit. Namq;  
cum numine illo ter maximo nihil magis sub-



lime ac sanctum sit, tollet quoque humo animum  
princeps, eundemque in Deum, verum & sum-  
mum bonum defigens, pietate imbuet, quae ve-  
re religionis nixa sit fundamento: cumque in-  
telligat Deum non ceremoniis gestive exter-  
no, sed animi deuotione, vita sanctimonia,  
perpetuaque officii functione coli, subditos  
exemplo suo, ad quod illi se facile componant,  
eodem inuitet. Quod etsi beneficii satis est,  
immo beneficiorum maximum, tamen non  
minus aliis quoque quibus potest bonis affatim  
eos cumulabit, imitabiturque beneficentia natu-  
ram eius, cuius in terra vices gerit, ut cura  
pater, meritis vero ceu propitium quoddam  
numen existat, cuius providentia benignita-  
teque fruantur privata domus, ciuitates, regio  
tota: ita quidem, ut publica pax salua sit, ho-  
stes consilio & manu arceantur, seditiones  
quiescant, necessaria suppetant, probi sint tuti  
ab iniuria, non improbi à poena, leges bonae  
vigeant, ius æquum dicatur, denique educatio-  
nis inuentus recte prospiciatur, & si quae aliae  
sunt.



sunt muneris regii partes; quarum plures utiq; recensere possim, explicare autem hoc loco plenius non debeam, ut quas ipse satis perdidiceris, iamq; in actum quotidie deducas. De postremo tamen pace tua paulo agam pluribus, quod neglectum exitio est, non ei solum, quo id accidit seculo, sed posteritati quoq; quam fœdè prodi, et in summam ignorantiam efferamq; barbariem sensim coniici necesse est, si seminaria omnis cultus humani, & officina virtutum supine habeantur. De scholis loquor, maxime puerilibus; quas paucas recte constitutas esse, & si quæ adhuc sunt, paulatim collabi ac deficere, vulgatissima apud omnes querela est, apud paucos seria mali illius emendandi cura: quæ si quem forte tangit, eo vel loco non est, ut consilium quis ab ipso requirat, vel si est, desunt qui monentem audiant; ut non dicam de iis qui fontem illius defectus non perspiciunt, qui mihi geminus (si modo definitus esse potest errorum numerus) videri solet. Primum enim docen-

D 3

tibus



tibus etatem istam, Deum immortalem quā  
gravi & molesto, si fideles sint, labore! pere-  
xigua passim constituta sunt premia adeo  
quidem ut canum aut equorum magistri ac  
domitores meliori ut plurimum sint conditio-  
ne, habeanturq; passim liberalius. Quo fit, ut  
qui paulo sunt eruditiores, operam suam tam  
vili pretio nemini addicant, & quidvis ali-  
ud agant potius, quam se in istos pulveres sine  
ullo fructu demergant: Vel si quem forte eo-  
darum illud necessitatis telum adigat, diu se  
in pistrino illo teneri haud patiatur. Idoneis  
ergo non existentibus, (nec enim ita leue mu-  
nus est, ut putatur, diuersi ingenii pueros eos-  
demq; plures recte informare) sumuntur qui-  
cunq; saepe nec ingenio nec moribus culti, hoc  
ferociores in etatem teneram quo ipsi indocti-  
ores et vita humana, quam per etatem pleriq;  
nondum intelligunt, imperitiores: vel si quis  
forte offertur, qui aliquo sit ingenio aut do-  
ctrina, subito iterum auolat, & ad alia pri-  
uatim magis utilia sese conuertit. Crebra au-  
tem



tem ista preceptorum mutatio quid boni, siue  
mali potius discentibus adferat, nemo est  
omnium qui ignoret; quando quæ unus vix  
multo labore pueris recte inculcauit, alter ut  
antecessore doctior habeatur, iterum dedisce-  
re iubet, alias et nouas imperita iuuentuti nu-  
gas, tanquam oracula è tripode petita, obtru-  
dens. Quo accedit etiam alterum, priore non  
minus exitiosum, quod formatores pueris præ-  
ficiuntur nõ tam iudicio, quam affectu, quena-  
quisq; forte, cui cura illa commissa sit, hause-  
rit, vel ex opinione sua, vel commendatione  
alicuius amici ceca. Videas enim paucos bo-  
num ea in re publicum spectare, sed à plerisq;  
non tam scholæ magistros, quam filiabus ma-  
ritos, aut parochiarum successores queri: Aut  
si qui forte iudicium alienum sequi, & ab A-  
cademiis quod fieri semper oportebat, eos pe-  
tere necesse habeant, non eos ibi consuli, quo-  
rum iudicio ea in re standum erat, sed quos-  
nis, modo fama celebriores sint, & vel nobis,  
vel cuiquam nostrorum familiaris noti,  
diversa



diuerso quam in aliis artibus fit instituto & exemplo. Medicum enim non à theologis, neq; theologum à Iurisconsultis, neq; Iurisconsultum à philosophis, sed suo singulos collegio petimus: recte omnino, cum artificii in sua arte credendum esse, vulgatum nos verbum doceat: at scholæ moderatorem qui è philologiae castris accersendus erat, à quibus postulamus. Unde accidit, ut cum illi eos, qui studiis istis humanioribus se dederunt, ignorant, alios ad munera ista ablegent & promoveant, qui vel ipsis noti sint, vel eandem secum disciplinam colant: qui quando sua priuatim agunt, & de puerorum profectu parum sunt solliciti, fit ut scholasticum officium sit proximum vel ad sacerdotium aliquod optimum gradus, vel certus ad procuratorum aut senatorum subsellia transitus. Rectius autem omnino sit & publice etiam utilius, eos adhiberi, qui annos plures et si fieri possit, vitam totam isti officio impendere constituisent, id quod nemo fere animum inducit, nisi laboris



laboris tedium præmi magnitudine dilua-  
tur. Itaq; recte fecit & præclare sapientissi-  
mus & optimus princeps **EBERHAR-**  
**DVS** piæ memoriæ, Episcopus Lubecensis &  
Verdensis, ex nobilissima Holliorum familia  
natus, qui qua erat prudentia & erga literas  
amore ante annos quindecim, si recte recor-  
dor, scholam novã Verda aperuit; siue vete-  
rem potius correxit, eamq; pluribus collegis,  
quo laborem ferrent facilius, & novis rediti-  
bus auxit, ita ut ex eo tempore nemo fere eo-  
rum, qui ibi iuventutem hætenus docent, fun-  
ctionem istam deserere, & aliam querere  
voluerit. Secutus autem ea in re fuit viri  
clarissimi & de bonis literis in Saxonia hac  
nostra præclare meriti **Dn. D. Ioannis Case-**  
**lii** præceptoris & amici mei multis mihi no-  
minibus colendi consilium ac  $\sigma\kappa\iota\alpha\gamma\epsilon\gamma\epsilon\gamma\phi\iota\alpha\upsilon$  quam  
ipse animo suo exadificatam erudito libello,  
cui titulum fecit, de ludo literario recte ape-  
riendo, omnibus eruditis ob oculos posuit. Ad  
hanc quasi normam si cum alias, tum vero pa-

E triæ



tria scholam constitui dirigiq; iubeas, eamq;  
adificio commodiore & redditibus necessariis  
augeri cures, rectissime omnino facias, et be-  
ne merearis de subditis tuis et aliis quam plu-  
rimis haud vulgariter. Quod quando ipse  
praclare intelligis, in ceteris tuis gravissimis  
hanc quoq; curam tibi cura diligenti esse pati-  
eris. Ita enim opus est, & de insigni ista tua  
erga studia bonarum artium affectione Mu-  
sa ipsa sibi promittunt, gratæ futurae tuarum  
laudum decantatrices non solum quoad tu fu-  
eris, sed quam diu ipsa erunt, hoc est humani-  
tas & litera. Haec enim illam pariunt, ma-  
tremq; filia perpetuo ac libens comitatur, ut  
rectè omnino poeta dixerit, eum qui fideliter  
artes bonas didicerit, facile feritatem omnem  
exuere, & si quid aliud sit in animo ipsius ne-  
vorum ac vitiositatis. Fidelem autem litera-  
rum cultum esse oportet, hoc est rectum & ve-  
rum, quiq; in usum publicum & privatum  
multorum redundet. Nō enim nulli sunt, qui  
à studio sapientiae virtutis & officii cultum  
sejun-



seiuungunt, præclare se profecisse putâtes, si modo docti audiant ingenione excellent; in vita vero & moribus quouis homine plebeio magis sint insulsi, ambitiosi, maligni, auari, iniusti & nulli non affectui obnoxii; ut vel hinc merito in literatos iactari vulgo videatur nihil eruditus (si modo hoc nomine appellandi sunt, qui professionem studii, vita abnegant) esse peruersus. Vnde ipsa literæ vitiis colentium male interdum audire apud viros bonos, eosdemq; simplices, qui fontem huius rei verum non perspiciunt, coguntur. Itaq; ut nemini bono quidquam boni inuidere par est, ita optandum sit ingeniosissimos quosq; si iidem improbi & peruersi sint animi, in literis non proficere; ne acumine mentis, quod saluti datum erat, ad malitiam & perniciem aliorum abutantur, fiantq; pestes generis humani, adeoq; sui ipsius. Etenim ut homo naturæ bonitate adiutus, excultus vero et recte conformatus educatione et doctrina, perfectissimum in ceteris est animal: sic idem si legum vincula



ruperit, iustitiæ limites migret, pessimum est  
omnium, & quavis fera bestia nocentius. In-  
iustitia enim armis prædita, ut in politicis A-  
ristoteles inquit, omnium est gravissima, a-  
deoq; intolerabilis: Hominem vero natura ab  
ortu mentis armavit acumine, & in agendo  
vigore ac solertia: quibus quis ut gladio an-  
cipiti recte ac secus uti possit. Quod cum ani-  
maduertisset olim Socrates, unus omnium  
sapientissimus, etiam oraculi testimonio ha-  
bitus, non præpropere aut subito adolescentes  
ad dicendum, aut res in repub. iudicandas ac  
gerendas accedere volebat; sed tum demum,  
ubi quod satis est ingenium doctrina, animus  
σωφροσύνη, mores humanitate ac modestia im-  
buissent: in omni deniq; officio viri boni essent  
confirmatiores. Sic enim non facile eos lapsu-  
ros iudicio putabat, neq; ambitione transuer-  
sos actum iri, neq; ullam in partem ab hone-  
statis iustitiæq; præscripto abituros. Secus qui  
facerent, & ad Remp. adferrent, pro iudicio  
recto & maturo temeritatem inconsultam,  
pro



pro animi moderatione ambitionem ac fastū,  
pro humanitate ac modestia indomitos affe-  
ctus, ab iis non modo boni nihil sperari posse,  
sed diuersa & aduersa omnia metuenda esse.  
Id quod in plurimis euentus ipse non raro  
comprobauit. Critias enim certe & Alcibia-  
des, ut de aliis non dicam, cum ipsi quoq; reli-  
cta Socratica disciplina premature ad concio-  
nem populi & curiam prouolarent, summosq;  
honores adipiscerentur, abuti occasione rei be-  
ne gerenda, quam ad salutem publicam eam  
conuertere maluerunt. Itaq; cæci ambitione et  
eneruati florentis fortune deliciis, omnia ad  
potentiam priuatam & explendas cupiditates  
suas retulere; unde non mirum si & se consi-  
liis prauis, et una florentissimam illam Athe-  
niensium Rempub. implicarunt, ac in pericu-  
lum cladesq; coniecere. Quin fuit hoc semper  
sue fatum sue infortunium eius Reipub. ut  
quamuis optimis legibus preclare constituta  
esset, ab hominibus tamen ambitiosis iisdemq;  
disertis, hoc est oratoribus iuueniculis, qui eta-



te & usurarum nondū essent confirmati, con-  
cutteretur gravius. Magna .n. vis est disertæ  
orationis, apud populum maxime, qui nō tam  
quid dicatur, & rationum momenta expen-  
dit, quam à quo, et quanto apparatu dicatur,  
attendere solet. Sed quid ego prisca comme-  
moro? Recentia forte magis moveant et illu-  
striora sint, nisi eadem odiosa: sed sint sane.  
Quis enim hodie nescit, quam anno abhinc  
secundo unius adeo hominis, quem subito for-  
tuna extulerat, calidis ut comicus ait, calli-  
disq; cōsiliis superior Saxonia laborarit gra-  
viter, adeo ut nisi quis Deus fatum hominū  
innocentum, quibus ille exitii laqueum iam  
tetenderat, respexisset, iam conclamatum de  
multis esset; Immo Germania tota maximis  
implicata et convulsa motibus, siue religionē,  
siue imperium ipsum respicias. Id quod cau-  
tioni & exemplo esse possit tam iis quos ad la-  
tera regum ac principum Deus locavit, quam  
principibus ipsis: his quidem ne adulatoribus  
& sycophantis, qui ad bonorum oppressionem  
sua



sua dirigunt consilia aures patulas, multo minus  
animum apertum prebeant; sed toto eos  
corde auersentur, omniq<sub>3</sub> cura à cōspectu col-  
loquioq<sub>3</sub> suo arceant atq<sub>3</sub> propellant: Illis vero  
ut nihil vlla in re suadeant, tentent, molian-  
tur, machinenturq<sub>3</sub>, nisi cuius rationem Deo,  
cui omnia humana, etiam arcana patent; &  
cōscientia, qua nihil cuiquam occulit, iustam  
& veram reddere possint. Euentum enim  
prestare sapiens non tenetur, neq<sub>3</sub> qui sapiat  
id à quoquā requirat. Verum, ut dixi, Prin-  
ceps illustriss. non minus de consiliariis tuis  
viris integerrimis ac sapientissimis, quam de  
te ipso, tua prudentia, virtute, animo in sub-  
ditos paterno, cura in Remp. vigili, clemen-  
tia & studio bene de omnibus merendi singu-  
lari, optima queq<sub>3</sub> ominantur, sperant et spon-  
dent sibi omnes, quotquot te, vitam, moresq<sub>3</sub>  
tuos cognitos habent, aut veris coloribus ab a-  
liis pingi vident, audiuntue: Quorum expe-  
ctationem uti fallere nunquam voles, ita nec  
te siue hoc seculum, siue posteritas debito virtu-  
tis &



tis & recte factorum premio, vera nimirum  
ac perpetua gloria, plenoq; laudum tuarum  
praconio defraudabit. In quo pangēdo si quid  
ipse valeam, nominus tum nervos ac vires in-  
genii mei, quamuis angusti, & tantæ moli fe-  
rendæ imparis sum periclitaturus, quam nunc  
mirifico patriæ, tum vero tui Dux incly-  
te amore & observantia, (si hisce ad Prin-  
cipem vocabulis utendum est) accensus in-  
flammatusq; successum & fortunam conati-  
tibus tuis egregiis secundam, tranquillamq;  
pacem, & benignam ac æquabilem felicitatis  
auram toti gubernationi tuæ, quam diuturnā  
is, à quo illa est, faxit, libens me-  
ritoq; precor.





153456

ULB Halle 3  
002 677 407



VD 77





omnibus. Sanctus sanctus

**Q**ommunicantes et noctem ut dicitur  
sacratissimam celebrantes. qua bea-  
tissime intemerata virginitas. huius mundi  
salvatore. Sed et memoriam venerante-  
mus eiusdem gloriose semp vir- ginis mar-  
tris eiusdem dei et domini nostri ihesu christi. Sed et  
torum apostolorum tuorum

**Q**ommunicantes. et diem sacratissimum celebra-  
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. coele-  
stis in veritate carnis nostre visibiliter carnaliter  
apparuit. Sed et memoriam

**Q**ommunicantes et diem sacratissimum celebra-  
tes. quo dominus noster ihesu christus pro nobis est  
Sed et memoriam. Hanc igitur oblationem





7.  
Ad Illustrissimum Principem  
ac Dominum

# DN. ERNESTVM

DUCEM BRVNSVI-  
CENSEM ET LVNE-  
burgens.

## ORATIO

BALTHASARIS CAMI-  
NÆI I. V. D.

Qua eius celsitudini de novo susceptæ  
gubernationis munere gratulatur.



*Dr. M. Duncano L'ed  
mathematico claris  
amico suo mittit*

Francofurti ad Oderam, Typis Ni-  
colai Voltzii.

Anno MDLXXIII.

